





MATTHIÆ ZIMMERMANNI  
SS. THEOL, Lic. P. & Superint. Misen.

# CONSOLATIO

*Ad*  
*NOBILEM & PIENTISSIMAM*  
VIDUAM.

*NOBILISS. item & EXCELLENTISSIMOS*  
DNN. GENEROS.  
FILIOS & FILIAS Carissim.

Summi Theologi  
*NOBILISS. MAGNIFIC. EXCELLENTISS.*

## DN. JACOBI VVELLERI,

*a Wolsdorff / Hereditarii in Karßdorff /*

### Super Obitu Beati

MARITI, SOCERI, PARENTIS, PATRONI.

L. M. Q. O. D. L.

*ipsa qua efferebatur Die 17. Jul. A. O. R. 1664.*

.HAVE.

.LONGOM. VALE. AETERNOM. VALE.

.KARISUMA. ANIMA.

.E T. SECUR A. QVEIE S CE.

IBEMUS OMNEIS HAC VIA.

---

Dresda. Stanno Montano.

**B**rgo jam nihil restabat, quàm ut conclamatis his temporibus, ubi mederi nobismetipsis, & domestica subvenire calamitati mirum quantum destinavimus, acerba mortuum necessitates tollerent ILLUM, qui pius in Deum, potens in suspiriis, precibus, fidelis erga Principum, prudentiâ, consiliis Ecclesiasticis tantum valens, ut pertinaci industriâ agens negotium, comparationis limites nedum invenire, tantum abest, figere queam. Theologus eheu! consummatissimus undiquaq; Theologus, diem obiit suum. Ad meliora, & meliores abiit, qui comis, gravis, bonus, pius, non tam videretur, quàm esset. Magnus VVELLERUS vivere desit. Triste! Vivit is tamen, in memoria, & amore cunctorum: atq; hoc uno punit invidiam, si qui sunt, malevolorum, quod tantum ei mors ad gloriam contulit, ut huic quoq; fortuna livor debeat accedere. Benè mortuus est, & summum sui desiderium, magnumq; bonis gratum reliquit dolorem. O mors crudelis, ô in lacrimas nostras artifex! vellem non dedisses inexorabilis sevitiæ tuæ tantum experimentum: Irascimur tibi, & blandiri necesse est. Nonne suffecerat orbasse vicinas & remotiores Academias tot tantisq; Theologis præclarissimis? Ubi jam Gerhardi, Majores, Mentzeri, (ut antiquiores taceam) Martinii, Röberi, Lyseri, Feuerbornii, Schmidii, Dorschei? Nonne hæc & quamplurima clarissima Lumina Ecclesiæ abste extincta? Proto-Synedrium Magnum Electorale etiam perreptandum erat. Carissimum juxtâ & clarissimum Lumen extinguendum, VVELLERUS tollendus fuerat. Jam jam in lacrymas solvi video Serenissimum Electorem, Dominum nostrum clementissimum, & quidni? Non enim amplius oculis usurpare licebit Virum, quem non minus dilexit, ac quidem Theodosius & Gratianus Ambrosium, & alios. Non imposterum Svada Theologica VVELLERIANA aures & mentem afficiet SÆSERENITATIS. Triste! Viduæ, fœminæ non è multis insigniori, fa-teor, nil durius obtingere potuisse, quam tanto marito privari, ubi vidisses pietatem cum amore, & hunc cum fidelitate conjugali strenuè decertare. Una olim ipsius anima, corpus unum, unum velle, unum nolle, unus adfectus, isq; tenerrimus quo ferebantur calidissimo impetu in pignora carissima, generos, nepotes, sed & necessitudine atq; adfectu sibi junctos, una preces, pro incolumitate, & secundis gubernaculis Serenissimi nostri, pro Majestatibus, pro Ministris, pro potestatibus eorum, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro familia, liberis, & ut uno, multa, pro ECCLESIA Christiana, fatiscente, & senes anbelos difficillimè ducente, trahente. Ita ut in proclivi mirari sit, quæ conferruminata, & conglutinata hæc consuetudo, thoralis amicitia, juxtâ & necessitas dissolvi potuerit. Non potuit certè, sine exquisitissimo, eoq; acutissimo dolore. Qui ut tempore minuatur, Supremum Numen impendio peto. Filiis optima, & præclarissima spei, filiabus lectissimis, earumq; Maritis, Viris Reverendâ Dignitate, gravitate, pietate, eruditione, & functionibus publicis longè clarissimis, nihil potuit inauspicatius accidisse, quàm, quod casus, tantum ipsis inviderit bonum. Concidit spes, concidit expectatio; non tamen quæ in Deum ferimur, quæ semper firma, semper certa. Instaurant dolorem fera solatia: Adiment tamen, vel saltem lenient non omninò nulla. Et si Collegæ impatienter ferunt obitum eorū, quibus-cum benè Rempublicam guber-

ber.

bernarunt; Quid mirum, si Summi Judicii Ecclesiastici, Antistes Illustris, & Sacerdotes Gravissimi doloris profundissimi, has edant indicinas: Letarum rerum nuncii indices malueramus esse, Princeps Indulgentissime: Sed ratio officii publici necessitatem nobis tristis nuncii imposuit. Avita, & antiqua probitatis, & fidei Christianae generosus assertor, propugnator, Theologus Vester, Confessarius, Consiliarius, sacris, & sanis Consiliis vacans, invidâ morte subtractus est, Vir omnium, domi, forisq; ad invidiam usq; virtutum. In cujus locum Celsitudini Tuae, quae optimos novit eligere, nimis arduum est, similem subrogare. Ille quidem functus est, & laudabiliter defunctus; Nos verò socios animi sui, Vestriq; judicii, tanto dolore confudit, ut otii remedium postulemus. Sed non dejiciamini. Vivit is Deus, qui semper is, & Principi, & Vobis & Nobis providebit examusim. Pulpita sacra Ecclesiastica & Academica, cœtus Sacri, Musarum stipendiarii, & quos dira & dura egestas premit, & vix non supprimit, & vos ò Collega defuncti fidelissimi, reposcent, reposcetis, precibus, desideriis suum VVELLERUM. Triste! Adversa fata, & tempora, quibus cum conflictamur fessis jam ferè membris, delassatis & attritis, jacturam tanti Promachi, sepiculè nobis refricabunt. Sermo interim parcus, memoria proluxior. Vulnere hæc, credite, cicatrices processu temporis certò ducent. Quis, & quantum luctus, meum occuparit animum, efferre jam nolo, neq; etiam valeo; Intercludor enim dolore, quominus, vix ac ne vix quidem, ægerrimè quædam adde-re possim. Fœnus verborum facere non sœvi, multo minus nunc facturus, quò dolor, ægritudines, luctus, mentem, animum, sed & manum sibi manciparint, ubi nuncii vulnus tam altè insedit pectori meo. Mecum tacitus, plorabo, deslebo, lugebo MEUM. Desiderabo exnunc Parentem, orbis. Desiderabo Patronū, Compatrem, Studiorum certissimum Promotorem hospes Desiderabo plura, desiderabo multa, quæ dolor recens jam supprimit. Pater mi, Pater mi, tristi nos sola relinqvis, ad æterna & felicia nunquam terminanda gaudia properans! Non eqvidem invidem⁹ felicitati Tuae. Sed quæ nos manebunt tempora, ò venerande Senex, ò desideratissime Pater! Quid si abscessus Tuus nobis contingat esse ominosus? Quid si excessum Tuum subsequantur illa, quæ jam cervicibus nostris impendent mala. Nam quis tam hospes est in historia, quem lateat, paulò post mortem illustrium, vel pietate, eruditione, virtute clarissimorū, subsequatas insignes rerum conversiones, mutationes, & nescio quæ funesta alia. Loth vix terga vertit & statim Nemesis Divina civitatem, & accolas perdidit. Fatis cesserat Theodosius, & en tibi irruptionem Gothorum, Vandalorum in Pannoniam, Italiam, Hispaniam. Sublato è vivis Ambrosio, Gotbi, Vandali Italiam vastarunt. Augustinus præsul Hipponensis exors hujus, & consors illius evi factus, & non tantum depopulationes, tyrannides, sed & ferales hæreses Ecclesiam ferè confecerunt. Lucherii mortem, quæ, & quanta tristia, funesta, atrocitas, dissidia, bella, mala, insecuta sint, novimus abundè. Deus meliora! Omnia hæc tristia, dolor ingens, isq; communis. Occurrendum huic statim non esse, dum recens sæviret, bene prospexi, ne illum ipsum solatia irritarent, & accenderent; Nam in morbis quoq; nil est perniciosius, quam immatura medicina: Expectabam dum ipse vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia, morâ mitigatus, tangi se ac tractari pateretur. Sed jam colligendus est animus. Colligenda, quæ ad dolorem nostrum abstergendum faciant. Nos etiam dolore afflicti, consolationem à nobis petemus, nosmetipsos in dolore vincemus, ac naturæ quandam quasi vim afferemus, quæ utinam tanti sit, ut cæteros

Veros quoque, in pari fortuna doceat adversos casus patienter ferre: qui quoque  
 sapientius contingunt, eò proprioeres hominibus putandi sunt, quasiq; nobiscum na-  
 ti; Ideoq; leviùs ferendi. Qui enim hominem se esse agnoscit, hominisq; me-  
 men sibi vindicat, cur ea quae hominis maxime propria sunt, recusare & rejice-  
 re audeat? quod simul ut fecisset, & imprudens, & injustus haberetur. No-  
 vimus nos, qui Sanguine Christi tincti sumus, mortem piorum non tam mor-  
 tem, quam vitam esse, non tam mare, quam portum exoptatissimum, non tam  
 miseriam, quam felicitatem. Novimus omnibus hac viâ gradiendum, an ma-  
 turè, an serò, nil refert. Quid ergò petis! quid fles? quid optas? perdis ope-  
 ram. Eò ibis, quo omnes eunt, quid Tibi novum est. Series invicta, & nulla  
 mutabilis ope illigat, & trahit cuncta, & te & tuos attinget. Iniquum est que-  
 ri de eo, quod uni accidit, & omnibus restat, Moritur omne, quod nascitur  
 divinum autem id est, quod nec ortum nec occasum habet. Novimus piè vitâ  
 functos non visuros Lernam malorum, & hostium, non sensuros amplius vita  
 molestias, & miseras, quibus miseri mortales, per omnes aetates, miserè quati-  
 untur & tantùm non inundantur. Gratulandum potius illis foret, qui sine peri-  
 culo ante initia bellorum, motuum, calamitatum, morte functi sunt. Nec im-  
 moderatè lugendus egrediens ex hac vita; nulla enim post mortem altera est  
 calamitas. Et, novimus diem restitutionis omnium, jam jam imminere. Quid  
 ergo nimium in modum lachrymis, & immoderatis fletibus indulgemus, vaca-  
 mus. Praemittimus non amittimus nostros, jam jam eos recepturi. Ast mo-  
 vet lugentem, desiderium ejus, quem dilexit. Id per se tolerabile apparet. Sed  
 abientes, & abituros, dum viverent, non flemus, quamvis omnis usus illorum  
 nobis, & conspectus, ereptus sit. Opinio, ait magnus Seneca, est, quae nos cru-  
 ciat, & tanti quoque malum est, quanti illud taxavimus. In nostra potestate re-  
 medium habemus. Judicemus illos abesse & nosmet ipsi fallamus. Dimisimus  
 illos, imò consecuturi praemisimus. Novimus quam vivimus vitam, totam fle-  
 bilem esse. Quid ergo opus est partes deslere, urgebunt nova in commoda, prius-  
 quam veteribus satisfeceris. Nonne vita magis supplicium, & mors, quàm vita,  
 praesertim si minus laudabiliter transigas decursus annorũ. Assiduè hinc, & in  
 horas movimur, vitam verba sonant, res perit. Tum autem perfectè vivetur,  
 quò hæc vita cessaverit, & vera, eaq; non transitoria initium acceperit. Si er-  
 go nascimur miseri, morimur beati, quis in hanc lucem edi velit, ut miseriis op-  
 primatur? quis non potius mori, ut beatam vitam habeat? Et si hoc nobis met-  
 ipsis ut optimum vellemus, cur parentib; conjugibus liberis, affinibus diversum.  
 Au melius nobis, quam illis, quos summè diligimus esse velimus; an potius beatè  
 nobis, mirè ipsis & infeliciter. Novimus supremũ, eumq; sapientissimũ arbi-  
 trũ rerũ Deum, cunctas nostras actiones, operas, nostras ita regere, ut laudi ejus  
 semper supersit insignis loc;. Novim; tandè piè defuncto omnia jam tũ ex verbo  
 evenisse. Quotiens gestiit liberari ergastulo corporis, & ad meliores concedere,  
 molestus non, eoq; diutino morbo lectulo affixus tenebatur. Omnia jam ex voto.  
 Superavit beata anima, omnes morbos, molestias, calamitates omnes. Perrupit, et  
 jam aternũ aeterna felicitate fruitur. Despicit, ridet omnia terrena, munda-  
 na, vana, & totus delectatione superiorũ capitur. Verùm excedo leges scriptio-  
 nis, contraham ergo lineolas & magni Stridonensis Patris verbis claudam hanc  
 exilem scriptitatuunculam; Caritas nunquam (ait) excidit. Hæc semper vivit  
 inspectore: ob hanc Nepotianus (VVELLERUS noster) absens, praesens est, & per tan-  
 ta terrarum spatia divisos, utraq; complectitur manu. Illum nostra pagella de-  
 cantet, illum nostra litera sonent. Quem corpore non valemus, recordatione  
 teneamus. Et quo cum loqui non possumus, de eo loqui nunquam desinamus.

Datum der Entleihung bitte

Dieser Band wurde 1996 durch Bestrahlung sterilisiert. Verfärbungen stellen keine Gefahr dar.

15. Feb. 1993

14. Okt. 1993

14. Okt. 1993

25. Nov. 1993

15. Dez. 1993

04. Juni 1994

04. Juni 1994

01. Juni 1995

13. Juli 1996

16. Okt. 1996

10. Juni 1998

13. Aug. 1998

10. Juni 1998

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0097514

1 B 8346

